

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XVIII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.68ra-72ra)

Audistis quoniam dictum est oculum pro oculo, et dentem pro dente, ego autem dico uobis non resistere pernitioso. Sed quicumque tibi alapam dederit, in dextera maxilla, uerte ei et aliam, et uolenti te iudicari, et pallium tuum accipere, dimitte ei et uestimentum.

Commented [ND1]: [fol.68ra]

Vides quoniam non de oculo priora dixit, cum in legislationem deduxit, oculum abscidere scandalizantem, sed de nocente nobis per amicitiam, et in perditionis in mittente baratrum? Qui enim tantam hic facit super habundantiam. Et neque alio effodiente oculum concedit abscidere eum qui est illius, qualiter utique suum abscidere in legislationem deduxisset? Si autem aliquis ueterem accusat legem, quia iubet ita uindicari, ualde michi uidetur, sapientiae legislatorem decentis, in expertus esse. Et temporum uirtutem ignorare, et condescensionis utilitatem. Si enim excogitauerit, qui erant qui haec audiebant, et qualiter dispositi erant, et quando legislationem hanc susceperunt, uehementer acceptabit legislatoris sapientiam. Et uidebit quod unus et idem est, qui illa et haec in legislationem deduxit. Et ualde utiliter alterutra, et cum decenti scribere tempore. Etenim si in principio excelsa haec et sublimia induxisset precepta, neque utique haec suscepissent, neque illa. Nunc autem in tempore decenti alterutra disponens, orbem terrarum uniuersum, per utraque emendauit. Sed et aliter hoc iussit, non ut oculos ad inuicem eruamus. Sed ut apud nosmetipsos, manus detineamus. Mine enim patiendi, impetum qui est in fatiando, prohibuerunt. Et ita utique multam quiete subseminat philosophiam, ubi patientem equalibus uindicari iubet. Quamuis maiori punitione dignus esset, qui iniquitatem hanc incepit. Et hoc iustitiae ratio expetit. Sed quoniam et philanthropiam id est amorem hominum uolebat miscere iustitiae, eum qui maiora deliquerat, minori quam dignum esset, condemnat punitione. Erudiens quod et in patiando, multam demonstrare oportet mansuetudinem. Dicens igitur ueterem legem, et legens eam uniuersam, monstrat rursus non fratrem existentem eum qui haec agit, sed pernitiosum. Ideoque induxit. Ego autem dico uobis, non resistere pernitioso. Non dixit non resistere fratri, sed pernitioso. Monstrans quidem illo mouente, haec ipse facere audet. Et sic multitudinem irae que est ad eum qui fecit, relaxat et incidit intransponendo causam in alium. Quid igitur non oportet nos resistere pernitioso ait? oportet quidem. Non hoc autem modo. Sed ut ipse iniunxit, in prebendo se ipsum pati male. Ita enim ipsum superabis. Neque enim igne extinguitur ignis, sed aqua ignis. Vt autem discas, quod et in ueteri lege qui patitur uincit magis, et hic est qui corontur, scrutare id quod fiebat, et uidebis multum eius primatum existentem. Qui enim incepit manibus iniustis, utrosque oculos ipse erit qui destruxit, et proximi et suum. Ideoque odio habetur ab omnibus iuste. Et decem milibus summittitur accusationibus. Qui autem iniusta passus est, et postquam equaliter uindicatus est, nullum malum fecit. Ideoque multos habet qui compatiuntur ceu purus existens, et postquam fecit hoc delictum. Et calamitas quidem, equalis est, utrisque similia autem, non equalis, neque apud deum neque apud homines. Ideoque iam neque calamitas equalis. Incipiens igitur dixit, quoniam qui irascitur fratri suo inaniter, et stultum uocat, debitor erit gehennae ignis, hic autem, et ampliorem expetit philosophiam. Non solum iubens quiescere eum qui patitur male, sed et magis esse munificentiam prebere alteram tribuentem maxillam. Hoc autem dicit non de tali plaga legislationem ferens solum, sed et innocentiam quae est in omnibus aliis, erudiens nos. Quemadmodum enim cum dicat, quoniam

Commented [ND2]: [fol.68rb]

Commented [ND3]: uel silentum add. super lin.

Commented [ND4]: diabolus add. super lin.

Commented [ND5]: frater add. super lin.

Commented [ND6]: [fol.68va]

Commented [ND7]: diabolus add. super lin.

Commented [ND8]: id est add. super lin.

Commented [CN9]: mala add. super lin.

Commented [ND10]: uel silere add. super lin.

Commented [CN11]: mala add. super lin.

Commented [ND12]: percussione add. super lin.

qui uocat fratrem suum stultum, debitor erit gehennae non de uerbo hoc dicit solum, sed et de contumelia uniuersa, ita utique et hic, non ut aliam accipientes feramus uiriliter legislationem inducit, sed ut et omne quodcumque patientes, non tumultuemur. Propter hoc et illic, ultimum conuictum elegit, et hic percussorem que maxime uidebatur esse exprobrosissima eam quae est in maxilla, et multam habet contumeliam, posuit. Iubet autem hoc, et pro percussore et pro percusso, sermonem fatiens. Qui enim contumeliam passus est, nil mali putabit pati, ita preparatus philosophari. Neque enim contumeliam sensum accipiet, quia in agone ueniens magis quam percussus. Et qui uexat, uerecundatus, non ultra secundam inferet percussorem, et si fera omni difficilior erit, sed et de prima uehementer eum penitebit. Nichil enim ita detinet iniusta facientes, ut ferre mansuetos eos qui iniusta patiuntur que fiunt. Non detinet autem ab ulteriori solum impetu, sed et in precedentibus penitere preparat, et ammirantes mansuetudinem recedere, et familiariores constituit, et seruos non amicos solum pro inimicis et bellatoribus facit. Quemadmodum uindicari, contrariam agit, et utrosque confundit, et deteriores construit, et iram in maiorem adducit flammam, et multoties et in mortem conuertit, ulterius malum proueniens. Propterea non solum aliam accipientem iussit non irasci, sed et implere eius desiderium iniunxit, ut neque qui prius est uidearis sustinuisse. Ita enim et inuerecundam existentem, pestifera poteris percussore magis plaga, quam si manu percussisses. Et inuerecundam existentem, mansuetiore faties. Volenti te iudicari, et tunicam tuam accipere? dimitte ei et uestimentum. Neque enim in percussoribus solum, sed et in pecuniarum iactura, uult talem innocentiam tribui. Ideo rursus eandem ponit super habundantiam. Quemadmodum enim illic iubet uincere in patiendo, ita et hic in auferendo, ampliora his quae avarus estimauit. Veruntamen non ita simpliciter id posuit, sed cum aditamento. Non enim dixit, da petenti uestimentum, sed uolenti te iudicari, hoc est si iniudicium trahit, et causam tibi tribuit. Et quemadmodum dicens non uocare stultum, neque irasci inaniter, procedens amplius expetiit, cum iussit et dextram maxillam tribuere, ita et hic dicens eunon id est bonam mentem habere aduersario, rursus intendit preceptum. Non enim utique solum que uult accipere, iubet dare, sed et ampliorem demonstrare munificentiam. Quid igitur nudus incedam ait? Non utique erimus nudi si his crediderimus cum diligentia. Sed et multo ampliora omnibus utique erimus circum amicti. Primum enim, nullus utique ita dispositis, super apponeretur. Secundo autem, si et contingeret aliquem ita siluestrem, et in mansuetum esse, ut et usque ad in tantum procedat, sed multo plures utique apparerent, qui ita philosophantem, non uestimentis solum, sed et carne sua si possibile esset, circumopererent. Si autem oporteret nudum circumire propter talem philosophiam, neque sic turpe esset, quoniam et adam nudus erat in paradiso, et non uerecundabatur. Et esaias nudus et discalciatus, et omnibus iudeis clarior erat. Et ioseph cum exutus est tunc maximae claruit. Non enim ita nudari est malum. Sed ita indui, quemadmodum nunc uos uestimentis pretiosis, hoc et turpe est et derisibile. Propterea illos quidem, deus laudauit, hos autem, incusat et per prophetas et per apostolos. Ne igitur impossibilia esse estimemus, haec precepta. Etenim et conferunt, et ualde sunt facilia si uigilauerimus. Et tantam utilitatem habent, ut non solum nobis, sed et illis qui uexant, maximae prosint. Et hoc maximae eorum est precipuum qui suadentes nobis pati male, per hec eadem et eos qui fatiunt, docent philosophari. Cum enim ille quidem putauerit magnum aliena accipere, tu autem ei monstraues quod tibi facile est, et que non petit dare, et concordantem munificentiam induxeris illius paupertati, et philosophiam illius avaritiae, excogita quanta potietur doctrina, non per uerba sed per opera ipsa eruditus, contempnere quidem malitiam, cupere autem uirtutem. Neque enim nobis ipsis utiles esse, nos uult solum deus, sed et proximis uniuersis. Si igitur das et non defendis, id quod tibi confert quaesisti solum. Si autem addes et aliud, et illum meliorem faciens dimisisti. Tale est sal quod eos esse uult. Etenim et sibi

Commented [ND13]: [fol.68vb]

Commented [ND14]: superiorem id est stultum *add. super lin.*

Commented [ND15]: examinationem *add. super lin.*

Commented [ND16]: uel de *add. super lin.*

Commented [ND17]: [fol.69ra]

Commented [ND18]: uel si auferantur a nobis *add. super lin.*

Commented [ND19]: uel raptor *add. super lin.*

Commented [ND20]: uel appositione *add. super lin.*

Commented [ND21]: negotium *add. super lin.*

Commented [ND22]: [fol.69rb]

Commented [ND23]: fieri *add. super lin.*

ipsi applaudit, et alia continet corpora quibuscumque homilisi id est coniunctum fuerit. Talis est oculus. Etenim et sibi ipsi et aliis lucet. Quoniam igitur in ordine te horum constituit, **prodesto** et ei qui in tenebris sedet, et doce eum quoniam neque quod primum, ui accepit. Suade quod non uexauit. Ita enim et ipse uenerabilior eris, et honestior, si monstraues quod gratis dedisti, et non tibi raptum est. Fac igitur eius peccatum, per tuam mansuetudinem, tuam munificentiam. Si autem magnum hoc, esse, estimas, expecta et uidebis manifeste quod non dum ad perfectionem obuiasti. Neque enim hic stat qui tibi leges de innocentia posuit, sed et ulterius procedit ita dicens. Si aliquis te angariauerit miliare unum, uade cum eo duo. Vides super habundantiam philosophie? Postquam **nimirum** dederis maxillam et tunicam, et uestimentum, si et nudo corpore uti uoluerit inimicus ad fatigationes et labores, neque ita oportet prohibere ait, omnia enim uult possidere nos communia, et corpora et pecunias, et deprecantibus et iniuriam in ferentibus, hoc enim **uirilitatis**, hoc autem philanthropias id est amoris hominum est. Propter hoc dixit. Si aliquis te angariauerit miliare unum, uade cum eo duo. Ad superiora te reducens rursus, et eandem munificentiam monstrare iubens. Si enim quae incipiens dixit, minora existentia his tantas habent beatitudines, excogita qualis **finis** eos qui tanta emendarunt expectat. Et **cuiusmodi** ante premium effitiuntur, in humano corpore et passibili impassibilitatem omnem dirigentes. Cum enim neque contumeliis et percussionibus neque pecuniarum oblationibus, morsum patiuntur, neque alio aliquo cedunt tali, sed et **copiosiores** passione effitiunt, intueri qualis eis construitur anima. Propterea quod in percussionibus, quod in pecuniis, hoc et hic iubet facere. Quid enim dico ait contumeliam et pecunias, et si ipso tuo corpore uoluerit in laborem et fatigationem uti, et hoc iniuste, rursus uince et super excede iniustum desiderium illius. Angariare enim, hoc est, iniuste trahere, et sine ratione aliqua et uexantem. Sed tamen et ad hoc esto preparatus, ut amplius patiaris quam ille uult facere, petenti te da, et uolenti mutuari a te ne auertaris. Hec illis minora. Sed ne mireris, hoc enim assueuit semper facere, miscens magnis parua. Si autem haec parua **quantum** ad illa, audiant qui quae aliorum sunt **accipiunt**, qui meretricibus sua distribuunt, et duplicem sibi ipsis accendant piram, et per acquisitionem iniustam, et per consumptionem pernitiosam. Mutuum autem hic, non cum usuris dicit conuentionem, sed usum simpliciter. Alias autem id et intendit dicens, illis dare a quibus non expectamus accipere. Audistis quoniam dictum est, diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis diligite inimicos uestros, et orate pro uexantibus uos, benedicite maledicentes uos, benefacite odientibus uos, ut efficiamini filii patris uestri qui est in celis, quoniam oriri facit solem suum, super pernitiosos et bonos, et pluit super iustos, et iniustos. Vide **sublimitatem** bonorum qualiter imposuit ultimam. Propter hoc enim erudit, non solum alapam accipientem ferre, et tribuere dextram maxillam, neque solum tunice uestimentum apponere, sed et duo simul ire miliaria, cum angariante unum, ut quod multo amplius his est, cum omni facilitate suscipias. Et quid his amplius est, ait? neque habere inimicum, haec facientem. Magis autem et aliud, quod est amplius hoc. Non enim dixit non odio habebis, sed dilige. Non dixit non iniqua ages, sed benefac. Si autem aliquis diligenter perscrutatus fuerit, et horum ipsorum aliam uidebit appositionem multo maiorem his. Neque enim simpliciter iussit diligere, sed et orare. Vides quot ascendit gradus, et qualiter in ipsam nos uerticem uirtutis statuit? Intende autem desuper numerans, primus gradus est, non incipere iniustitiam, secundus, postquam inceptum est, equalibus **non** uendicari. Tercius, non facere uexanti hec quae passus est, sed **quiescere**. Quartus, tribuere se ipsum in patiendo male. Quintus, et amplius tribuere quam ille uult qui fecit. Sextus, non odio habere eum qui haec operatur. Septimus, et diligere. Octauus, et bene facere. Nonus, et deum pro ipso deprecari. Vides altitudinem philosophie? Propterea et preclarium premium habet. Quoniam enim magnum erat preceptum, et **iuuenili** indigens anima, et multo studio, et mercedem ei ponit talem qualem

Commented [ND24]: uel prosis add. super lin.

Commented [ND25]: [fol.69va]

Commented [ND26]: uel fortitudinis add. super lin.

Commented [ND27]: uel requies add. super lin.

Commented [ND28]: quales add. super lin.

Commented [ND29]: uel fortiores add. super lin.

Commented [ND30]: [fol.69vb]

Commented [ND31]: ra add. super lin.

Commented [ND32]: uel capud add. super lin.

Commented [ND33]: [fol.70ra]

Commented [ND34]: uel silere add. super lin.

Commented [ND35]: uel forti add. super lin.

nulli priorum. Non enim terrae hic meminit, quemadmodum in mitibus, neque consolationis, et misericordie, quemadmodum in lugentibus, et misericordibus, neque regni caelorum, sed quod omnibus his erat terribilius, effici similes deo, ut homines effici decens est. Vt enim efficiamini ait, similes patris uestri qui est, in celis. Tu autem michi obserua, qualiter neque hic neque in anterioribus, patrem suum uocat. Sed illic quidem deum et regem magnum, cum deiuramentis disputabat. Hic autem, patrem eorum. Facit autem hoc, in decenti tempore sermones qui sunt de hoc, conseruans. Deinde et procedens, similitudinem ait, quoniam solem suum oriri facit super pernitiosos et bonos, et pluit super iustos et iniustos. Etenim ipse, non solum non odio habet ait, sed et benefacit conuitiantibus quamuis nusquam quod **efficitur**, est equale. Non solum propter **dignitatis** super habundantiam. Tu enim, a conseruo contemneris, ille autem a seruo, et decem milia beneficia accipiente. Et tu quidem uerba largiris, orans pro eo, ipse autem res multo magnas et mirabiles, solem accendens, et temporaneos ymbres tribuens. Sed tamen et sic, do equalem esse, ut hominem **possibile** est, esse. Ne igitur hodie habeas facientem male, talium existentem tibi datorem bonorum, et in tantum honorem te ducentem. Ne maledicas uexanti, quoniam laborem quidem sustinuisti, fructu autem priuatus es. Et iacturam quidem feres, mercedem autem perdes, quod ultimae est, amentiae, quod difficilius est sustinentes, quod minus eo, est, non ferre. Et qualiter est, hoc effici ait? Deum uidens hominem factum, et tantum descendentem, et tanta propter te patientem, interrogas et adhuc et dubitas qualiter possibile est, conseruis dimitti iniustitias? Non audis eum in cruce dicentem, dimitte eius, non enim sciunt quid faciunt? Non audis paulum dicentem, quoniam qui ascendit sursum, et sedet in dextera, interpellat pro nobis? Nonne uides quod et post crucem et post assumptionem uideris qui interfecerunt misit apostolos decem milia afferentes bona et maximae cum decem milia ab ipsis essent passuri mala. Sed tu maximae iniqua passus es. Sed quid tale passus es quale tuus dominator? Ligatus, flagellatus, alapis cesus, a famulis mortem sustinens, et mortem mortium uniuersarum turpissimam post decem milia beneficia. Si autem magne iniusta passus es, et propter hoc maximae benefac, ut et tibi ipsi clariorem facias coronam, et fratrem ab ultima eruas infirmitate. Quoniam et medici cum calcitentur, et conuitia patiantur ab insanis, tunc maximae eorum miserentur, et preparantur ad illorum emendationem. Scientes quod super habundantiae egritudinis conuitium hoc est. Et tu igitur hoc de insidiantibus habe **consilium**, et ita uite iniusta facientibus. Illi **enim** sunt maximae qui egrotant, et uim sustinent. Erue igitur eum a difficili hac uexatione, et da dimittere iram, et a demone libera a difficili furore. Etenim demoniacum si uiderimus. Lacrimamur, non et ipsi studemus demoniaci effici, hoc et nunc faciamus, in irascentibus. Etenim illis assimilantur qui furorem habent. Magis autem et illis sunt miseriore, cum sensu insanientes. Ideoque sine uenia est, eorum stupiditas. Ne igitur **superuenias** iacenti, sed et miserere. Etenim si eum qui **abili**, molestatur, et uertiginem patitur, et uomere hunc pernitiosum humorem festinat, uideremus, manum porrigeremus, et portarem eum qui laniatur, etsi uestimentum coinquinarem, non conuerteremur, sed unum solum querimus ut illum eruamus a difficili hac cohartatione. Hoc igitur et in his faciamus, et portemus uomentes et dilaniatos. Ne utique prius dimittamus, donec uniuersam deposuerit amaritudinem, et tunc tibi maximam sciet gratiam, postquam quieuerit. Tunc manifeste noscet, a quanta eum eruiisti turbatione. Et quid dico gratiam, quae est ab illo. Deus enim te confestim coronabit, et decem milibus remunerabit bonis, quoniam tu fratrem a difficili liberasti egritudine, sed et ille ut dominatorem te honorabit, semper reuerens tui mansuetudinem. Nonne uides parturientes mulieres, qualiter mordent eas quae assistunt, et non dolent ille, magis autem dolent quidem ferunt autem uiriliter, et condolent pressuram patienti, et dilaniatae a dolore. Has et tu zelare, et ne efficiaris mollior mulieribus. Postquam enim pepererint mulieres heae, **mulieribus** enim sunt

Commented [ND36]: a nobis et illo *add. super lin.*

Commented [ND37]: eius *add. super lin.*

Commented [ND38]: [fol.70rb]

Commented [ND39]: uel mentem *add. super lin.*

Commented [ND40]: [fol.70va]

Commented [ND41]: uel insultes *add. super lin.*

Commented [ND42]: id est colera *add. super lin.*

Commented [ND43]: [fol.70vb]

pusillanimores, tunc te uirum cognoscent. Si autem grauia sunt precepta, excogita quoniam propter hoc aduenit christus, ut hec in nostra plantet mente, ut et inimicis, et amicis, utiles construat. Propter hoc et alterutrum horum, curam habere iubet, fratrem quidem, cum dicat si obtuleris munus tuum. Inimicorum autem, cum in legislationem deducat, et amare, et orare pro eis. Et non ab exemplo quod est, secundum deum inducit solum ad hoc, sed et a contrario. Si enim dilexeritis ait, diligentes uos, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani idem fatiunt? Hoc et paulus ait. Non dum usque ad sanguinem restitistis, ad peccatum repugnantes. Si igitur hec feceris, cum deo stas. Si autem dereliqueris ea, cum publicanis. Vides qualiter non tanta est, mandatorum magnitudo, quanta personarum differentia. Ne igitur rem estimemus, quoniam difficile est preceptum, sed et premium reputemus, et excogitemus cui similes efficitur dirigentes et cui equales uel dimittentes. Fratri igitur iubet reconciliari, et non prius dimittere, donec inimicitiam destruamus aut de omnibus disputa, non adhuc hinc nos summittit necessitati, sed ea que **a nobis** sunt expetit solum, facilem et ita faciens legem. Postquam enim dixit quoniam persequuti sunt prophetas qui ante uos, ut non propter haec ipsa hodie ad ipsos se habeant, iubet non solum ferre haec facientes sed et diligere. Vides qualiter radicitus iram et concupiscentiam que est, circa corpora, circa pecunias, circa gloriam, circa presentem uitam destruit? hoc enim fecit quidem a **principio**, multo autem plus nunc. Et **pauper enim et mittis**, et lugens, inanit iram, et iustus et misericors, inanit pecuniarum concupiscentiam, mundus corde, erutus est a concupiscentia perniosa, persecutionem passus et ferens conuitia et male audiens, omnem addiscit iam presentium rerum contemptum, et a tumore et uana gloria est mundus. Voluens igitur a uinculis his auditorem, et ad agonas erigens, rursus aliter euellit, has passiones, et cum ampliori diligentia. Incipiens enim ab ira, et undique abscidens passionis huius neruos, et dicens qui irascitur fratri et stultum uocat et racha, puniatur, et qui profert munus non prius adeat **mensam** donec dissoluerit inimicitiam, et qui aduersarum habet, antequam iudicium uideat, amicum faciat inimicum, ad concupiscentiam transit rursus et ait, qui inspexerit incontinentibus oculis, ut adulter puniatur. Qui scandalizatur a muliere incontinenti, uel a uiro, uel ab alio aliquo eorum qui eum attingunt, omnes hos abscidat. Qui lege nuptiarum detinet mulierem, numquam eam emittat, et ad aliam inspiciat. Per hec enim pernitiouse concupiscentiae radices destruxit. Deinde hinc pecuniarum desiderium reprimit, iubens neque iurare neque mentiri, neque retinere tunicam, quam aliquis indutus est, sed et uestimentum dimittere **uolenti**, et corporis usum. Ex multa super habundantia, amorem qui est, circa pecunias destruens. Tunc post haec omnia, et uariam preceptorum horum coronam inducit dicens. Orate pro uexantibus uos. Supra ipsum supremum philosophiae **uerticem** reducens. Quemadmodum enim alapis cedi, maius est quam mittere esse, et uestimentum emittere cum tunica quam misericordem esse, et iniusta patientem ferre, quam iustum esse, et alapis cesum et angariatum sequi, maius est quam pacificum esse, ita et persecutionem patientem benedicere, maius est quam persecutionem pati. Vides qualiter paulatim in ipsum reducit celum? quo igitur erimus digni qui ad deum iussi sumus zelum habere, et fortassis neque publicanorum efficitur equales? si enim amare amantes, publicanorum et peccatorum et ethnicorum est, cum neque hoc fecerimus, neque enim facimus id emulantes prosperantes fratres, qualem non sustinebimus uindictam superexcedere scribas iussi, et ethnicis existentes inferiores? Qualiter igitur uidebimus regnum dic michi, qualiter superueniemus sacris ianuis illis, nullo publicanis meliores effecti? Hoc enim enigmatische insinuauit dicens. Nonne et publicani idem fatiunt? quo et maximae miranda eius est doctrina, quoniam ubique premia bonorum ponens cum multa super habundantia, puta et deum uidere, et regnum caelorum, et filios dei fieri, et similes dei, et misericordiam consequi, et consolari, et mercedem multam, sicubi et tristium meminisse oportebat, remisse hoc facit. Gehenne quidem enim nomen, semel in

Commented [ND44]: uel apud nos *add. super lin.*

Commented [ND45]: [fol.71ra]

Commented [ND46]: altare *add. super lin.*

Commented [ND47]: uel eius trius sit *add. super lin.*

Commented [ND48]: [fol.71rb]

tantis posuit sermonibus et aliis quibusdam **subtractis**. Vt et incitando magis quam minando, utens sermone, emendet auditorem dicens. Nonne et publicani idem faciunt? et si sal stultum effitietur et minimus uocabitur in regno caelorum. Est **autem** ubi et peccata pro punitione ponit, honerositatem punitionis, auditori dans intelligere. Vt cum dicat, adulterauit eam in corde suo, et qui dimittit facit eam adulterari. Et superfluum ab his, ex pernitioso est. habentibus enim intellectum, pro nomine punitionis, sufficit peccati magnitudo, ad sobrietatem. Ideoque et hic ethnicos et publicanos in medium ducit, qualitate persone, discipulum **uerecundari** faciens, quod et paulus faciebat, ut et reliqui qui spem non habent. Et quemadmodum gentes que ignorant deum. Et monstrans quod nichil superexcedens, expetit, sed parum amplius assueto ait. Nonne et ethnici idem fatiunt? sed tamen non sistit hic sermonem, sed in premia ipsum dissoluit, et benignam spem, dicens. Efficiamini igitur perfecti, sicut et pater uester qui est in caelis, et multum caelorum nomen ubique disseminat. Et a loco, sensus eorum erigens. Interim enim imbecillius et crossius quodammodo erant dispositi.

Commented [ND49]: uel remissis *add. super lin.*

Commented [ND50]: [fol.71va]

Commented [ND51]: uel incitans *add. super lin.*

Vniuersa igitur intelligentes que dicta sunt, multum et ad inimicos demonstramus amorem, et derisibilem illam consuetudinem abiciamus, quam multi irrationabiliorum sustinent, expectantes eos qui obuiant primos **dicere**. Quod quidem habet multam beatitudinem, non zelantes, quod autem est derisibile, hoc persequentes. Cur enim non alloqueris ipsum prius? Quoniam expectat hoc ait. Quamobrem propter hoc ipsum maximae insilire oportebat, ut tu accipias coronam, non ait, postquam hoc studuit. Et quid hac irrationabilitate, fiet deterius? Postquam enim hoc **studuit** ait id est mercedis michi dator effici, nolo hac potiri causa. Si igitur ille te alloquetur prior nichil tibi fiet amplius, et alloquenti. Si autem tu prius insilueris **alloquutioni**, negotiatus es arrogantiam illius, et copiosum quendam ex elatione eius fructum uindemiasti. Qualiter igitur non ultimae amentiae est, tanta fructificatus a nudis uerbis, tradere utilitatem. Et reprehendentes eum incidere in eadem? Si enim propter hoc ipsum causaris, qui prior expectat alloquutionem que est, ab alio, qua de causa zelaris, quod incusas? et qui dixisti esse pernitiosum, hoc ut bonum imitari studuisti? Vides qualiter nichil homine in malitia uiuente stultius? Ideo deprecor fugiamus pernitiosam hanc consuetudinem et derisibilem. Etenim decem mille euertit amicitias egritudo haec, et multas inimicitias operata est. Propterea preueniamus eos nos. Qui enim alapis cedi, et angariari, et nudari ab inimicis, iussi sumus, et ferre, qua utique erimus uenia digni, in alloquutione nuda, tantam demonstrantes litigationem? Contempnimur enim ait, et expuimur, cum ei largimur hoc. **Et** ut non contempnat te furians conseruus, contempnis dominatorem in tantis benefatentem? Si enim in conueniens est, contempnere te, eum qui honore est, tibi equalis, multo magis te contempnere deum qui te fecit. Cum hoc autem, et illud intende quod cum te contempserit, tunc maioris mercedis efficitur preparator. Propter deum enim haec sustines. Quoniam eius leges audisti, hoc autem quali non utique erit honoris remuneratione dignum? quantis **diadematis**? Michi sit et contumelias pati, et contempni propter deum dehonoriari a regibus uniuersis. Nichil enim gloriae hinc equale est. Hanc itaque persequamur, ut ipse precepit, et humanorum nullam geramus curam. Sed certissimam philosophiam demonstrantes per omnia, ita nostram dispensemus uitam. Etenim caelestum et coronarum que illic sunt, hinc iam fructificabimus bona. Vt angelicum hominibus ambulantes, ut angelorum uirtutes in terra circumeuntes. Et extra omnem concupiscentiam et omnem turbationem permanentes. Sed et cum omnibus his et ineffabilia suscipiemus bona, quibus sit omnes nos potiri, gratia et philanthropia id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium, cum patre et sancto spiritu, nunc et semper et in secula seculorum.

Commented [ND52]: Morale octauum decimum de non expectando salutari, sed primos nos hoc facere, et de humilitate *notum in marg.*

Commented [ND53]: uel salutare *add. super lin.*

Commented [ND54]: [fol.71vb]

Commented [ND55]: uel salutationis *add. super lin.*

Commented [ND56]: Et ut non contempnat homo offendis deum? *add. in marg.*

Commented [ND57]: [fol.72ra]